

Platonis et Xenophontis Convivia cum Socratem depingant ab eiusque discipulis conscripta sint, omnium virorum doctorum studium diligentiamque excitaverunt. Veteres iam scriptores de eis verba faciunt atque alterum cum altero aliqua ratione cohaerere dicunt. Sed nihil aliud fecerunt, nisi ut ex illis libris eligerent et compararent, quae similia essent, quae dissimilia, velut Athenaeus XI 504 E haec affert: *εἰς ταῦτά τις ἀποβλέπων τὰ τοῦ καλοῦ Ξενοφῶντος ἐπιγιγνώσκειν δυνήσεται ἢν εἶχε πρὸς αὐτὸν ὁ λαμπρότατος Πλάτων ζηλοῦντιαν ἢ τάχα φιλονίκως εἶχον ἀρχῆθεν πρὸς ἐαντοὺς οἱ ἄνδρες οὗτοι αἰσθόμενοι τῆς ἰδίας ἐκάτερος ἀρετῆς καὶ ἴσως καὶ περὶ πρωτεῶν διεφέροντο οὐμόνον ἐξ ὧν περὶ Κύρον εἰρήκασι τεχμαιρομένοις ἡμῖν, ἀλλὰ καὶ τῶν αὐτῶν ὑποθέσεων. Συμπόσια μὲν γὰρ γεγράφασιν ἀμφότεροι καὶ ἐν αὐτοῖς ὁ μὲν τὰς ἀνλητηρίδας ἐκβάλλει, ὁ δὲ εἰσάγει καὶ ὁ μὲν, ὡς πρόκειται, παραιτεῖται πίνειν μεγάλους ποτηρίοις, ὁ δὲ τὸν Σωκράτην παράγει τῷ ψυκτικῷ πίνοντα μέχρι τῆς ἐω. Similia apud Diog. Laërt. III 34 legimus *ἔοικε δὲ καὶ Ξενοφῶν πρὸς αὐτὸν ἔχειν οὐκ εὐμενῶς ὥσπερ γοῦν διαφιλονεικοῦντες τὰ ὅμοια γεγράφασι Συμπόσιον, Σωκράτους ἀπολογία καὶ τ. λ.* Videmus igitur Athenaeum nisi simultatem nullam aliam causam sibi fingere potuisse, cur de eadem re egerint. Sed nostra aetate A. Boeckhius in dissertatione: De simultate, quam Plato cum Xenophonte exercuisse fertur (Berol. 1811) optime exposuit inimicitiam inter eos nullam esse et a scriptoribus inventam. Attamen, si quis Convivia perlegerit, ei dubium esse non poterit, quin alter alterius librum in scribendo ante oculos habuerit.*

Quid — ut gravissima sumam, leviora praetermittam — num casu factum esse putamus, ut convivii potissimum forma uterque res philosophicas tractaret? Nonne miramur argumentum, de quo disputatur, in utroque esse *ἔρωτα* — amorem? Itaque quod quinquaginta abhinc annos Henrichsenius in libello: *Dissertatio de consilio et arte convivii Xenophontis eiusque cum Platónico necessitudine* (Flenopoli 1840) probare studuit, alterum alterius librum non cognovisse eiusque ignarum suum Convivium scripsisse repudiamus.

Quae cum ita sint, aliquam rationem inter eos libros intercedere statuimus, sed quae sit illa ratio, multum inter se dissentiunt viri docti. Partim enim Conviviis comparatis eo deducti sunt, ut Xenophontem primum suum Convivium scripsisse Platonemque illum imitatum esse censerent, partim eo ut Platonem prius Socratem convivium ineuntem fecisse Xenophontemque ad illius exemplum librum confecisse putarent.

Propugnator autem eorum, qui hanc sententiam defendunt, C. Fr. Hermannus pluribus commentationibus academicis et in *Philologi* vol. VIII exstitit. Adiuvit eum causis ex dictione Platonica haustis Martinus Schanzins (*Hermes* XXI). Ab altera parte A. Boeckhius stat, qui in commentatione illa, quam supra tetigi, leviter magis atque in transcurso Xenophontis dia-

logum prius in lucem editum esse existimabat eumque sequitur A. Hugi's disputationibus, quae sunt in Philologi volumine VII et in editione Platonis Convivii. Deinde postquam aliquamdiu huic quaestioni persolvendae operam non dederunt viri docti, anno 1896 Pfeiderer in libro suo de Socrate et Platone longa annotatione eam perstrinxit neque negat se eos sequi, qui Xenophontem Convivium prius scripsisse putant. Qui magis ex parte philosophi quam philologi rem diiudicat neque celat iam nimium studii et laboris huic controversiae tractandae impensum esse; nam non multum interesse, utrum Plato an Xenophon prius Convivium confecerit.

Nobis autem rem iterum tractaturis primum agendum erit, ut quae adhuc prolata sunt ad quaestionem illam diiudicandam examinemus atque constituamus quae nobis videantur et refutemus quae a nostra sententia abhorreant, tum, ut novis argumentis, quibus res diiudicari possit allatis Xenophontis Convivium post Platonis librum scriptum esse probemus.

Ac primum quidem temporum ratio, quae intercedat inter illos libros, ad quaestionem solvendam haud parvi momenti erit. Platonis Convivium quando habitum esse scriptor finxerit 173 A *ὅτε τῇ πρώτῃ τραγῳδίᾳ ἐνίκησεν Ἀγάθων* ex Athenaei verbis V 217 A apparet *ὅτε γὰρ Ἀγάθων ἐνίκη, Πλάτων ἦν δεκατεσσάρων ἐτῶν· ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ ἄρχοντος Εὐφρόμου στεφανοῦται Ἀθηναίσις*, i. e. anno 416 a. Chr.; idem Athenaeus 216 D de Xenophontis Convivio *ὁ καλὸς Ξενοφῶν ὃς ἐν τῷ Συμπόσιῳ ὑποτίθεται Καλλίαν . . . ἐστίασιν ποιούμενον· ἐστὶν δὲ οὗτος ὁ καιρὸς καὶ ὃν Ἀριστὼν ἄρχων ἦν* i. e. anno 422 Calliam Autolyco epulas parasse tradit; quos numeros si quis viderit, facile in eum errorem incidere poterit, ut dicat, Convivium, cuius scaena prior sit, etiam prius scriptum esse. Sed neque Plato neque Xenophon historica fide convivia referre sibi proposuerunt, sed licentia poetica usi legibusque artis dialogicae obsecuti mutant, exornant, consilio accommodant atque imprimis temporum rationem servare non solent, id quod Zellerus in dissertatione: De anachronismis in Platonis dialogis recte exposuit. Itaque nihil interest — qua de re certant viri docti — utrum verba illa Charmidis IV 31 *νῦν δὲ ἐπειδὴ τῶν ὑπερορῶν στέρομαι καὶ τὰ ἔργα οὐ καρποῦμαι καὶ τὰ ἐκ τῆς οἰκίας πέπραται* bellum Archidamicum an Deceleicum significant.

Etiam aliis in rebus Xenophontem chronologiam minime curasse luce clarius est, siquidem et Socratem se ipsum *πρεσβύτην* appellentem inducit II 18 *ἢ ἐπ' ἐκείνῳ γελᾷτε ὅτι οὐ δέήσει με . . . ἐν ὅλῳ πρεσβύτην ὄντα ἀποδέσθαι*, qui tum temporis quadragesimum septimum annum agebat, cum Callias, ut supra commemoravimus, illud in honorem Autolyco convivium anno 422 pararet, et Niciae filium rem familiarem administrantem facit, id quod illi antequam pater anno 413 in Sicilia periisset, non licuit: IV 51 *καὶ ὁ Νικίας εἶπε Νῆ Λία σὺ τούτῃν δικαίως μεγαρροεῖς· ἐμοὶ γὰρ αὖ τῶν φίλων οἱ μὲν εὖ πράττοντες ἐκποδῶν ἀπέρχονται, οἱ δ' ἂν κακόν τι λάβωσι, γεναλογοῦσι τὴν συγγένειαν καὶ οὐδὲ ποτὲ μὲν ἀπολείπονται*. Quae cum ita sint, ea verba quae initio Convivii profert Xenophon I. 1. *οἷς δὲ παραγενόμενος ταῦτα γινώσκω δηλῶσαι βούλομαι* non minus recte intellegemus. Nam si anno 422 convivium habitum est, vix illi interfuisse Xenophontem putabimus. Natus enim est non multo ante annum 430.

Quo loco facere non possumus, quin, quo anno natus sit Xenophon, constituere conemur, praesertim cum in eo constituendo magna dissensio orta sit. Qua in re tamquam inane commentum reicimus, quae apud Strabonem IX 403 de Xenophontis anno natali tradita sunt, qui anno fere 440 eum genitum esse dicat. Et Strabo quidem narrat Socratem in pugna apud Delium commissa Xenophontem de equo delapsam ab hostibus persequentibus servasse; itaque cum pugna anno 424 commissa sit et Strabo Xenophontem *ἱππέα* i. e. ephebum inducat,

ephebi autem vicesimum fere annum agerent, (Arist. *περὶ Ἀθην. πολ.* 42) hunc anno 424 viginti circiter annos habuisse sumit. Cobetus autem (nov. lect. 534) acute animadvertit hanc Strabonis narrationem ex eis compositam esse, quae Alcibiades in Convivio Platonico de se ipso et Socrate tradat. Quod iam ex ipsis verbis apparet, quae cum illo Platonis loco magnam similitudinem praebent:

Strabo IX. 403

ἐν δὲ τῇ φυγῇ πεσόντα ἀπὸ ἵππου Ξενοφῶντα ἰδὼν καί-
μενον τὸν Τρόλλου Σωκράτης ὁ φιλόσοφος στρατεύων
πεζὸς τοῦ ἵππου γεγονότος ἐκποδὼν ἀνέλαβε τοῖς ὤμοις
αὐτὸν καὶ ἔσωσεν ἐπὶ πολλοῦς σταδίους ἕως ἐπαύσατο
ἡ φυγή.

Nullam ergo veritatis speciem Strabonis narratio prae se fert.

Plato Conv. 220 D

οὐδεὶς ἄλλος ἐμὲ ἔσωσεν ἀνθρώπων ἢ οὗτος τετρωμένον
οὐκ ἐθέλων ἀπολιπεῖν, ἀλλὰ συνδιέσωσε καὶ τὰ ὄπλα καὶ
αὐτὸν ἐμέ . . . ἔτυχον παραγενόμενος ἵππον ἔχων, οὗτος
δὲ ὄπλα. ἀνεχώρει οὖν ἐσκεδασμένων ἤδη τῶν ἀνθρώπων
οὕτως τε ἅμα καὶ Λάχης.

Certissimum autem ducem in Xenophontis anno natali indagando ipsum Xenophontem habemus, qui quamquam in Anabasi non dicit, quo anno natus sit, tamen, cum Cyri copiarum imperium acciperet admodum iuvenem fuisse neque ultra tricesimum annum egisse tam perspicue docet, ut nulla iam restet dubitatio: Anab. III. 1. 14 ποίαν δ' ἡλικίαν ἔμαντῶ ἐλθεῖν ἀναμένω; οὐ γὰρ ἔγωγ' ἐν πρεσβύτερος ἔσομαι, ἐὰν τήμερον προδῶ ἔμαντὸν τοῖς πολεμίοις; III. 1. 25 καὶ γὰρ δὲ, εἰ μὲν ὑμεῖς ἐθέλετε ἐξορμᾶν ἐπὶ ταῦτα, ἐπεσθαι ὑμῖν βούλομαι, εἰ δ' ὑμεῖς τάτιτε με ἡγεῖσθαι, οὐδὲν προσαίσωμαι τὴν ἡλικίαν, ἀλλὰ καὶ ἀκμάζειν ἡγοῦμαι ἐρύκειν ἀπ' ἔμαντοῦ τὰ κακά; VI. 4. 25 legimus eum cum ceteris, qui aetatem triginta annorum haberent, praecucurrisse καὶ ὁ Ξενοφῶν . . . ἐβοήθει καὶ οἱ ἄλλοι μέχρι τριάκοντα ἐτῶν ἅπαντες. Quibus cum indiciis congruunt quae apud Athenaeum invenimus, qui solus ex veteribus Xenophontis aetatem cognovit V 216 πάντ' οὖν ψεύδονται οἱ φιλόσοφοι καὶ πολλὰ παρὰ τοὺς χρόνους γράγοντες οὐκ αἰσθάνονται καθάπερ οὐδ' ὁ καλὸς Ξενοφῶν ὅς ἐν τῷ Συμπόσιῳ ὑποτίθεται Καλλίαν . . . ἐστίασιν ποιούμενον καὶ σὺν τοῖς ἄλλοις δαιτόμοσι παρόντα τὸν ἴσως μηδὲ γεννηθέντα ἢ περὶ τὴν παιδικὴν ἡλικίαν ὑπάρχοντα. Videmus igitur illum anno 422 non plus quam decem annos habuisse. Fieri autem non potuit, ut puer quidam decem annorum invitaretur a Callia, cuius convivio ipse Socrates interesset, idemque postquam adolevisset, diligentissime singulas res ibi gestas referre posset, sola memoriae fide nixus. Accedit quod aliis locis de convivis ita verba facit, ut se ipsum in eorum numerum non ascribat, velut II. 1, ubi legimus ἐρχεται αὐτοῖς ἐπὶ κῶμον, cum exspectemus ἐρχεται ἡμῖν. Quam ob rem cum Hugio facere non possumus, qui ex verbo παραγενόμενος colligit, Xenophontem lectori persuadere voluisse se ad historicam fidem convivium enarrare. Adiecit scriptor παραγενόμενος ea de causa, ut veritatis speciem augeret simulque suum Convivium Platoni opponeret. Nam Xenophontem illius librum legentem ea res vehementissime offendeat, quod Apollodorus Phalereus res gestas refert, de quibus ipse ab Aristodemo certior factus est quindecim annis postquam Agatho convivium illud apparaverat. Etiam sibi ipse multa iam ex memoria elapsa esse commemorat 178 A πάντων μὲν οὖν ἃ ἕκαστος εἶπεν οὔτε πᾶν ὁ Ἀριστιόδημος ἐμνήμητο οὔτ' αὖ ἐγὼ ἃ ἕκαστος ἔλεγε πάντα. Plato igitur cum nimio temporis intervallo, tum Aristodemi verbis lectorem ad eam opinionem adducere voluisse videtur, ut magis res fictas quam vere gestas crederent explicari.

Sed ut redeamus, unde digressi sumus, ad temporum rationem inquirendam et postquam quando haberi Convivia velint scriptores exposuimus, nunc quaerendum est, quando scripti sint libelli. Quod ex Platonis libro non difficile eruitur. Legimus enim 193 A νῦν δὲ διὰ τὴν ἀδικίαν διωκίσθησαν ὑπὸ τοῦ θεοῦ καθάπερ Ἀρχάδες ὑπὸ Λακεδαιμονίων. Apparet igitur librum litteris exaratum esse post ol. 98. 4, quo anno (385) Mantineam dirutam esse ex

Xenoph. Hellen. V. 2 et Diod. XV. 5 intellegitur. Dubitari autem potest, quoto anno post illud urbis excidium liber consignari coeptus sit. Et Schleiermacherus quidem, (opp. Plat. II. 2. 382) quoniam Mantinea ol. 102. 3 (370) sit restituta (Hellen. VI. 5. 4. Diod. XV. 12), fieri posse censebat, ut Convivium illo ipso tempore scriptum sit, quippe quo rei memoria fuerit recentissima. Itaque hoc tantum probabile esse ait confectum esse librum inter ol. 98. 4 (385) et ol. 102. 3 (370). Sed cum Mantinea in pristinum statum redigeretur, propior esse debuit in unum redeuntium cogitatio quam olim disiectorum memoria, quod ab Aristophanis verbis abhorreat; itaque veri simile est Convivium Platicum intra annos 385 et 380 confectum esse. Quae opinio praecipue eo confirmatur, quod ad id tempus, quod sequitur, pacem Antalcidae (387) spectare videtur 182 B τῆς δὲ Ἰωνίας καὶ ἄλλοθι πολλαχοῦ ὅσοι ἐπὶ βαρβάροις οἰκοῦσιν. Itaque si anno 384 Convivium publici iuris fecisse Platonem putabimus, non multum errabimus. Haec de Platonis Convivio. Difficilius sane est perscrutari, quo tempore Xenophon συμπόσιον suum scripserit.

Constat inter omnes Xenophontem ab anno 401, quo cum Cyro in Asiam profectus est, usque ad annum 387, quo Scylluntem se recepit, rebus publicis et bellicis vacasse. Quare nunquam Hugius (Phil. VI. p. 239) nobis persuadebit ea scripta, quae de Socrate agant, in Asia orta esse, ubi nec tempus nec otium ad res philosophicas tractandas ei erat. Utrumque autem habebat, cum in agris Scylluntis moraretur. Sed quo ordine libros conscripserit, cum probabilitate explanari non posse videtur. Plerique autem viri docti Anabasin id opus Xenophontis esse putant, quocum initium scribendi fecerit. Expeditionem autem illam non ante 380 eum narrasse ex ipso libro (VII. 6. 34. V. 3. 10 cf. Rehd. LVII) apparet, itaque ceteri libri post illum annum editi sunt. Cyropaedia porro, quo Socrates sub Tigranis imagine celebratur praeceptoris sapientissimi, vix ante annum 370, fortasse anno 360 orta est. Itaque nescio an Convivium quoque iisdem temporibus scriptum sit. Id solum certum est Convivium cum Oeconomico et Memorabilibus ita cohaerere, ut quasi unum librum de Socratis vita et disciplina efficiant. Iam ex primo verbo ἀλλὰ apparet hunc librum opposuisse Xenophontem alii neque causam celat cur hunc adiecerit: οὐ μόνον τὰ μετὰ σπουδῆς πραττόμενα ἀξιομνημόνευτα εἶναι, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐν ταῖς παιδιαῖς. Quibus verbis sine dubio Memorabilia et Oeconomicum significare vult eisque libris iam scriptis novum addit. Sed non solum argumento, sed etiam dicendi genere hi libri multum inter se differunt neque quisquam negabit Xenophontem orationem suam in Memorabilibus exilem et ieiunam magis magisque ita excoluisse, ut in Convivio non iam, ut ante, narret quae facta sint, sed ita ea exponat quasi sub oculis agantur atque hoc modo ad summam perfectionem artis scribendi pervenisse videatur. Quae de causa Convivium in numero eorum librorum habebimus, quos in fine aetatis scripsit, sine ullo dubio autem post annum 380 i. e. multo postquam Platonis Convivium in lucem editum ab illoque cognitum est. Hac cum observatione congruunt, quae Schanzius (Hermes XXI) de Xenophontis elocutione exposuit. Dittenbergero enim duce Schanzius numeravit, quotiens τῶ ὄντι, ὄντως; ὡς ἀληθῶς, τῇ ἀληθείᾳ; ἀληθῶς, ἀληθείᾳ in singulis Xenophontis et Platonis libris inveniantur atque hac ratione, quando libri scripti sint, statuere conatus est. Particularum autem μὴν γέ οὖν δὴ cett. numerationem, quam Dittenbergerus et Roquettius instituerunt, consilio repudiavit, cum particulis numerandis nihil effici non ignoraret. Primum enim is, qui illi rationi aliquid pretii tribuit, libros eadem forma quam nunc habemus a scriptoribus editos esse neque quidquam temporum cursu mutatum esse sumit, tum id, quod Dittenbergerus neglexit, argumenta librorum respicienda sunt. Nemo enim dubitat, quin diversis scripturae generibus

diversa scribendi genera respondeant, velut dialogus natura alium particularum usum postulat ac rerum gestarum narratio. Quas difficultates ut effugeret Schanzius, notiones illas sibi elegit, cum earum usus neque pendeat a librorum argumentis et philosophiae scriptor id quod interest inter esse et videri exprimere saepe cogatur, illudque contrarium multis synonymis reddi possit. Quarum notionum frequentiam secutus Schanzius invenit Xenophontis Convivium ex numero eorum esse librorum, qui posteriori eius scribendi tempori assignandi sunt. Ergo etiam hac via eo ducimur, ut, si memoria tenemus, illi ante annum 387 ad scribendum omnino non fuisse otium, Convivium post illud Platonis scriptum esse pro certo habeamus.

Satis mihi verba fecisse videor, ut externis indiciis allatis Platonis ante Xenophontis librum editum esse demonstrarem. Unde iam sequitur, ut hic in suo Convivio scribendo illius opus ante oculos habuerit. Sed iam transeamus ad interna argumenta, quae ex scriptoribus eorumque libris comparandis sumpta sententiam nostram confirmabunt.

Ac primum in universum naturam atque ingenium utriusque scriptoris consideremus, ut postquam intelleximus quid summam de eis indicandum sit, in singulas operum eorum res descendamus.

Xenophon si prius librum suum fecit, hoc scribendi genus eum invenisse atque in Graecas litteras introduxisse necesse est. Totam autem eius scribendi consuetudinem si consideraverimus, num eo perducemur, ut verisimile esse putemus eum novum scribendi genus invenisse? Nunquam enim talis exstitit Xenophon, ut interno quodam impulsu scriberet, sed maximopere causa aliqua extrinsecus adacta commotus est, ut libros conficeret, sive ut alios qui praecedebant historicos imitaretur sive ut ab aliquo lacessitus se defenderet aut alios reprehenderet et corrigeret. Quod ut comprobetur Hellenica in mentem revocare licet, quibus Thucydidis opus ad finem perducere et continuare studuit; in libro de Re equestri Simonem quendam auctorem sequitur, quem primum de illa re disseruisse initio libelli ipse profitetur I. 1 *συνέγραψε μὲν οὖν καὶ Σίμων περὶ ἵππικῆς . . . ἡμεῖς γε μέντοι ὅσοις συνετέχονεν ταῦτα γνόντες ἐκείνῳ οὐκ ἐξαλείφομεν ἐκ τῶν ἡμετέρων, ἀλλὰ πολὺ ἥδιον παραδώσομεν ἀντὶ τοῖς γέλοις*; cf. XI. 6 *ὥςπερ καὶ Σίμων λέγει*; in Cynegetico deinde ea refert, quae ei peritus quidam rei venatoriae narravit atque ita ut non multum ab eius elocutione discessisse videatur. Atque enumerationem cognominum canum particulis non coniunctam VII. 5 ex illo opere ignoto mutuatus est neque minus in Oeconomici cap. XVI. 1 se *περὶ τέχνης τῆς γεωργίας* res ab alio compertas afferre dicit *πρῶτον μὲν τοίνυν . . . τοῦτο ἐπιδειξάι βούλομαι σοι ὥς οὐ χαλεπὸν ἐστίν, ὃ λέγονσι ποικιλιώτατον τῆς γεωργίας εἶναι οἱ λόγῳ μὲν ἀκριβέστατα αὐτὸν διεξιόντες, ἥκιστα δὲ ἐργαζόμενοι· γὰρ καὶ λ.* Ut igitur his in scriptis alios imitatus est, ita in nonnullis atque minoribus de rebus, quas dies poposcit, verba fecit atque in vulgus edidit; in libello de Re publica Lacedaemoniorum magistratibus eius civitatis consilia de rebus publicis gerendis dedit; laudatio Agesilai — si modo scripta est a Xenophonte — sine dubio ea de causa confecta est, ut amicum Agesilaum mortuum honoraret et ab aliis, qui eum aggressi sunt, defenderet. Anabasis vero tamquam responsum est ad Anabasin prius a Sophraeneto editam, qui ita res enarraverat, ut animum Xenophontis, qui suarum virtutum nimis amator esset, vehementissime offenderet. Quae ira ac studium illum impulit, ut occasione oblata famae Sophraeneti obtrectare studeret Anab. V. 8. 1. VI. 5. 13. Memorabilium denique in capite primo et altero libri primi Polycratem rhetorem Atheniensem impugnat, qui ut discipulos alliceret, libellum scripserat, cui titulus erat *κατηγορία Σωκράτους*; quem cum Socratem valde vituperavisset, Xenophon refutavit (cf. Cobet Nov. lect. 661 sq. Schenkl Xenophont. Stud. III. 1).

In nullo igitur genere scripturae ipse inventor fuit, sed semper eorum, qui ante eum fuerunt, scriptorum rationem habuit. Quae cum ita sint, licebitne iudicare primum eum fuisse qui sub forma convivii, cuius antea nullum exemplum cognovimus, res ad philosophiam pertinentes egerit? Tantum ingenium in Xenophonte fuisse non censebimus. Quanto magis autem in Platone! Platonem talia invenire potuisse omnes consentiunt, qui etiam „non nisi primis labris eius ingenio delectabantur.“ Qui externum dialogorum suorum habitum tam multipliciter informavit, ut ipso exemplo suo docere videretur, „philosophiam a nullo vitae humanae genere alienum esse; sapientem in omnibus sibi constare rerumque varietatem universalium formarum necessitudine comprehendere.“ Nullo in alio dialogo dexterius externum formae splendorem cum argumenti sublimitate coniunxit (cf. Pfeiderer, p. 523). Mirum sane est multos viros doctos quaesivisse, cur per convivii potissimum formam de amore dicentem Socratem fingeret neque aliam causam invenisse nisi ut Xenophontis exemplum sequeretur. Quod cum fecerint, Platonis artificium quod omnes adhuc admirati sunt, multo minuerunt. Satis superque cognovimus ex iis quae supra dicta sunt, si cui ansa externa opus esset ad scribendum, eum esse Xenophontem, non Platonem. Itaque id nobis prae ceteris agendum erit, ut, quae utrumque ad scribendum impulerint, inveniamus atque explicemus.

Quid igitur Plato sibi voluit cum Socratem in convivio de amore disputantem faceret? Quae est eius Convivii ratio? Nam perspecto utriusque operis consilio causae diversitatis in eo conspicuae facilius sane deteguntur certiusque erit iudicium de alteriusutrius prioritate. Plato amoris philosophi praestantiam ac dignitatem adumbravit atque viam monstravit qua ad illam perveniri possit; eaque in re Socratis exemplo usus est sic, ut eius imagine virtus hominis divina amantis expressa videretur. Socrates, qui oratione sua philosophi amoris vim naturamque illustrat, tamquam perfectus amator, cuius mens et animus ab omni humili cupiditate alienus et ad divinae sapientiae meditationem et exercitationem conversus est, elegantissime describitur. At Xenophon, cum non ad fontes, ut ita dicam, sapientiae pervenerit, Socratem nullum alium videbat nisi hominem liberum atque absolutum ab omnibus corporis voluptatibus, qui rebus philosophiae tractandis discipulos ad similem vitae rationem studebat ducere. Itaque in Convivio philosophum talem nobis adhibet qualis in ipsa vita et in familiarium atque conviviarum hilaritate fuisse videbatur et eum de amore ea loquentem inducit, quae re vera ipsi placebant. Quae si tenemus, Xenophonti suum Convivium aliter adornandum fuisse apparet quam Platoni. Socratis autem descriptio a Platone facta Xenophonti in caelum quasi sublata videbatur, ipse aliam speciem animo comprehensam habebat eamque suo Convivio explanare studuit. Ingenio enim eius magis ea quae ante oculos erant intuenti atque ad vitae usum conferenti Socratis imago Platonis mente excogitata non cum ea, quam ipse de illo habebat, congruit, philosophiamque Platonis ultra fines vagantem inter eos fines retrahere voluit, quibus Socratem se continuisse putabat. Sed etiamsi ita res se habet, tamen erraremus Xenophontis Convivium historica fide relatum esse rati. Supra iam de *παράγερόμερος* illo verbo dictum et demonstratum est, ipsum Xenophontem — id quod Boeckhius et Hugi negant — convivio non interfuisse. Sed negari non potest nonnulla a Xenophonte in Convivio prolata esse, quae ad similitudinem Memorabilium ad vitam ab Socrate actam referri possint, velut quam magnis periculis se offerant et ei qui amant et qui amantur, Socrates explicat IV 23, quo cum loco conferendus est Mem. I. 3. 12, ubi dicit, in quae pericula homines osculantes pervenire possint. Mem. I. 3. 5 et Conv. II. 24—26 pariter in edendo et bibendo non ultra modum eundem esse censet; ludis gymnasticis corpus exerceri dicit Mem. III. 12. 4. IV. 7. 9. Conv. II. 17. 20.

Eam amicitiam, quae in mutua animorum inclinatione posita sit, maximum pretium habere exponit Mem. II. 4—6 et Conv. VIII. 18; illumque amorem laudandum esse, si patriae utilitatem respiciat, docet Conv. VIII. 42 et Mem. II. 6. 25.

At in Platonis *συμπόσιον* nonnulla, quae de Erote quasi humana specie induto dicantur, de ipso Socrate praedicari viri docti iam monuerunt. 203 D *ἡγερεντὴς δεινός* sc. *ἔρωος ἐστὶ* magnam habet similitudinem cum Mem. II. 6. 28 *ἀλλὰ θαρρῶν, ἔφη, πειρῶ ἀγαθὸς γίγνεσθαι καὶ τοιοῦτος γενόμενος ἡγεῶν ἐπεχειρεῖ τοὺς καλοὺς τε καὶ ἀγαθοὺς*. Etiam quod Plato 220 A Socratem sine ullo negotio maximum frigus tolerare potuisse dicit, idem in Mem. I. 6. 2 tamquam ad veritatem relatum invenimus. Socratem pedibus nudis incedere solere ex Platonis Convivio 174 A et Aristophanis Nub. 103 notum est neque minus vere factum traditur eum cogitationibus captum longum tempus in eodem loco stetisse. Maiorem veritatis fideique speciem praebent, quae Alcibiades de Socrate profert, praesertim cum ipse declaret verum se dicere (214 E) atque Socratem saepius cohortetur, ut se a veritate discedentem refutaret.

Quare cum in universo exposuerimus, quid de Platone et Xenophonte scriptore dicendum sit eiusque Conviviis, ipsa Convivia accuratius exploremus atque inter se conferamus. Sed antea liceat causam a nonnullis prolatam afferre cur putent Xenophontem prius suum Convivium scripsisse. Dicunt enim eum pro ingenii facultate in lucem suum opus edere ausurum non fuisse, quod cum Platonis libro comparari non posset. Sed haec causa nulla esse videtur. Nunquam enim quasi lex fuit duorum operum eandem rem tractantium peius simul esse prius; nonne eodem iure exemplis ex historia litterarum repetitis probare possumus aliquid ab ingenio excellentissimo coeptum atque factum multos imitari? Bene feliciterque etiam ex veterum historia Hermannus Senecam ad Lucilium (Sen. Ep. 79. 5) talia scribentem laudat: „Aetnam describas in tuo carmine et hunc sollemnem omnibus poëtis locum attingas: quem quominus Ovidius tractaret nihil obstitit; quod iam Vergilius impleverat, ne Severum quidem Cornelium deterruit.“ Artificium sane divinum quoddam Platonis assequi se non posse Xenophonti ipsi persuasum fuisse veri simile est, sed quid impedit, quominus indicemus eum suam sententiam de Socrate conviviali eiusque de amore indicium profiteri voluisse Platonis Convivio quodammodo excitatum?

Ceterum silentio praeterire non possumus, quod in antiquitate vel scriptores vel homines docti Platonis ingenium et scripta gravissimis verbis castigaverunt (cf. Gellius XIV. 3). Maximopere autem Athenaeus in eum invehens solaque calumniandi cupiditate obscurare et probis invidiosis malevolentissime in illum ingestis in deteriore gradum eum detrudere conatus est. Itaque XI. 508 ex auctoritate Theopompi Chii plurimos Platonis dialogos commenticios aut aliunde depromptos esse censet, ab Aristippo, Antisthene, aliis. Quod vero de Convivio nullum verbum facit, argumentum ex silentio nobis esse potest nullam vagatam esse opinionem quasi ex alicuius exemplo id composuisset. Nisi ita esset, sine dubio hoc monuisset Athenaeus. Quin etiam uno loco V 216 veri simillimum esse concedit Xenophontem Platonis imitorem fuisse, quamquam aliis locis — ut est homo nullius indicii — aliter existimare videtur. Maiorem auctoritatem tribuere possumus Jos. Rhacendytæ, qui quamvis posteriore aetate vixerit, clare dicat syn. rhet. III. 511 (Walz) *ἡ πλοκὴ δὲ τῶν Σωκρατικῶν συμπόσιων — ὁ γὰρ Σωκράτης παρὰ Πλάτωνος τούτων κατήρξατο — σπονδαῖα καὶ γελοῖα . . . ἐστίν, ἐν οἷς καὶ διαφορὰν πολλὴν ἴδοι τις τοῦ Πλατωνικοῦ συμπόσιου πρὸς τὸ τοῦ Ξενοφῶντος καὶ τὰ τῶν ἄλλων συμπόσια*.

Quibus rebus peractis nunc ad eam partem disputationis progrediamur, qua accuratius Convivia inspicere et eorum dissimilitudines similitudinesque et quid ex iis sequatur explorare

volumus. Hic quaerat quispiam, cur ab iis rebus non initium fecerimus atque ex iis, quae ibi inventa sint, cetera concluderimus? Hac via et ratione, quam Hugi eique qui ab eo stant secuti sunt, consulto progressi non sumus, cum in tota quaestione diiudicanda id maximum nobis videretur, ut prius, quibus condicionibus uterque scriberet, satis clare appareret. Quas si statuerimus, etiam recte de singulis rebus indicabimus, quibus Hugi magnam, ne dicam nimiam auctoritatem interdum tribuit.

Satis multi in utroque Convivio leguntur loci, qui alterum legenti alterum in memoriam non possint non revocare. Aut enim utrobique eadem res narratur vel demonstratur, sed ita, ut scriptores haud leviter inter se dissentiant, aut quod in altero libro legitur, oppositum sit rei alicui sententiaeve, quam alter protulit. Iam Cornarius in libro: De conviviorum Graecorum ritibus etc. (Basil. 1546) eos locos observavit, accuratius de eis Schneiderus in „Quaestionibus de Convivio Xenophonteo“ exposuit.

Ac primum quidem, quod externam Convivii formam attinet, apud Platonem graves et seriae solum habentur orationes, tibicina ingressa eicitur et ad mulieres ablegatur ab Eryximacho (176). Quod Plato fieri vult, ne convivarum mentes talibus artificibus amoveantur a rebus philosophiae agendis. Etiam ex Protagora (347 C. D.) satis est notum, quam alienus fuerit ab iis convivarum oblectationibus καὶ γὰρ δοκεῖ μοι τὸ περὶ ποιήσεως διαλέγεσθαι ὁμοίωμα εἶναι τοῖς συμποσίοις τοῖς τῶν φανύλων καὶ ἀγοραίων ἀνθρώπων· καὶ γὰρ οὗτοι διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἀλλήλοις δι' ἐαντῶν συνεῖναι ἐν τῷ πότῳ μηδὲ διὰ τῆς ἐαντιῶν φωνῆς καὶ τῶν λόγων τῶν ἐαντιῶν ὑπὸ ἀπαιδεύσεως, τιμῆς ποιοῦσι τὰς ἀνληγρίδας κ τ λ. Xenophon tamen et tibicinam et saltatricem per totum Convivium exhibet et ipsarum magistrum non solum colloquentem inducit, sed etiam illudentem atque convitiantem. Quod cum faceret, Platonis de iis rebus sententiae obsistere voluit; illi Socrates ante oculos versabatur homo qui omnia, quae in communi vita fiebant, in philosophiae utilitatem trahere sciret. Itaque et Socrates et convivae saltatricem maxime admirantur II 8 squ., quae impavide super gladios acutos transiit; documentum id docet esse, τὴν ἀνδρείαν εἶναι διδακτόν. Praeterea eum offendit Aristodemus qui in Platonis Convivio non vocatus venit. Quod cum indecorum esse putaretur, aliquem non invitatum convivium adire, ipse Philippum scurram introduxit, qui quaestus causa cenae et potioni interest. Deinde apud Platonem Socrates inducitur ex ingenti γιᾶλη per totam noctem mirum quantum vini bibens ita, ut ne magnum illum quidem ψυκιῆρα Alcibiadis iussu oblatam refutet. Hoc Xenophonti displicuit, id quod quodammodo miramur, cum aliis in rebus rectum convivii ordinem et institutionem commendat. Itaque cum Philippus μεγάλην poscat II 23, Socrates hortatur ut ex parvis scyphis bibant et ipse vini parcissimus est. Deinde apud utrumque auctorem colloquia ante convivium habita similitudines quasdam praebent; imprimis quo iure philosophia potior sit ducenda omnibus rebus, utroque loco disputatur. Atque apud Platonem (173 C) Apollodorus eos homines divites illudit, qui philosophiae expertes nihil efficiant, quamquam ea quae sibi proposuerint, prospere eventura esse pro certo habeant.

Apud Xenophontem Callias commemorat I. 4 magis se delectari, si viri τὰς ψυχὰς ἐκκαθαρεύουσι quam si imperatores aut magistri equitum apud se versentur. Eodem modo inter se consentientes uterque in sophistas invehitur. Hic enim Socrates per ludibrium Agathonem in sophistarum modum eruditum maiore laude esse dignum quam se ipsum abhorrentem ab eorum doctrina profitetur. Illic ἀντιονοργὸν τῆς φιλοσοφίας I 5 se ipsum nominat suamque sententiam cum sophistarum doctrina comparatam nullam esse dicit.

Apud Platonem in nonnullis orationibus velut Agathonis, Phaedri, Pausaniae multa inveniuntur, quae a sophistarum genere dicendi deprompta sunt. Atqui apud Xenophontem I 26 Socrates dicit *ἦν οἱ παῖδες μικραῖς κύλιξι πικρὰ ἐπιπακάζωσιν ἵνα καὶ ἐγὼ ἐν Γοργίοις ῥήμασιν εἶπω*. In illo καὶ haesitamus. Nullum enim locum antea invenimus, quo id καὶ respicere possit: ubi exstitit ullum vestigium orationis Gorgianae? Nonne recte putabimus Xenophontem orationes illorum virorum sermone Gorgiano fucatos tangere voluisse? Alium quoque locum Platonicum, quo Gorgiae mentio fit, 198 C non omisisse videtur. Nam ille sophistas impugnans dicit per ludibrium eodem iure quo Gorgonum capita, quibus omnia in lapidem esse conversa narretur (Hom. Od. XI, 632) etiam Gorgiam esse timendum; apud hunc praeterquam quod iam ante scripsit *πρὸς τὸ γοργότερον δρᾶσθαι* haec legimus IV 24 *ὥσπερ οἱ τὰς Γοργόνας θεώμενοι λιθίνως ἔβλεπε*.

Ut vero ad res graviores transeamus, magnam utriusque Convivii similitudinem in eo positam videmus, quod de amore maxime disputatur; ac si Aeschinis verbis in oratione contra Timarchum (345) habita fidem habemus, ea iis temporibus consuetudo philosophorum fuit, ut de amore dissererent. Sed rationes, quas sequuntur scriptores, multum inter se differunt. Apud Platonem enim a primo id convivis ponitur, ut omnes de Erote ex ordine verba faciant; apud Xenophontem a ceteris qualibet re tractata Socrates denique in sermonem de amore delabatur. Itaque utriusque operis consilium idem videtur ita, ut postquam ceteri dixerunt, Socratis oratio omnium gravissima agmen claudat. Platonis autem principium hoc est, ut non primum sententiis orationis uniuscuiusque evulgatis deinde causas explicet, sed tenore rerum non interrupto orationem perpetuam efficiat. Si autem in singulas orationes accuratius inspicimus, id apparet Xenophontem quae apud Platonem a singulis convivis disserta legerat, ipsum quasi in unum corpus confudisse atque permiscuisse. Velut Critobulus, cum explicet quam utilitatem homines ex corporum pulchritudine capere possint, argumenta ex Phaedri oratione sumit prooemio excepto. Nam apud Platonem invenimus 178 C *ὁ γὰρ χρὴ ἀνθρώπους ἡγεῖσθαι παντὸς τοῦ βίου τοῖς μέλλονσι καλῶς βιώσεσθαι, τοῦτο οὐτε συγγένεια οἶατε ἐμποιεῖν οὕτω καλῶς οὐτε τιμαὶ οὐτε πλοῦτος οὐτ' ἄλλο οὐδὲν ὥς ἔρω*. Quae Xenophon exprimit IV 13 *ἄξιόν γε μὴν ἡμῖν τοῖς καλοῖς καὶ ἐπὶ τοῖσδε μέγα φρονεῖν, ὅτι τὸν μὲν ἰσχυρὸν ποιοῦντα δεῖ κτᾶσθαι τὰγαθὰ καὶ τὸν ἀνδρείον κινδυνεύοντα, τὸν δὲ γε σοφὸν λέγοντα· ὁ δὲ καλὸς καὶ ἡσυχίαν ἔχων πάντ' ἂν διαπράξαιτο*. Ut Phaedrus 178 D, ita Critobulus IV 15 existimat Amorem plus momenti afferre ad bene beateque vivendum quam ceteros deos: 178 D *φημὶ τοίνυν ἐγὼ ἄνδρα ὅστις ἐρᾷ, εἴ τι αἰσχυρὸν ποιοῦν κατάδηλος γίγνεται ἢ πάσχων ὑπὸ τοῦ δι' ἀνδρείαν μὴ ἀμυνόμενος οὐτ' ἂν ὑπὸ πατρὸς ὀφθέντα οὕτως ἀλγῆσαι οὐτε ὑπὸ ἐταίρων οὐτε ὑπ' ἄλλον οὐδενός ὥς ὑπὸ παιδικῶν*; IV 15 *ὥστε εἰ σύ, ὦ Καλλία, μέγα φρονεῖς ὅτι δικαιότερους δύνασαι ποιεῖν, ἐγὼ πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν δικαιότερος σοῦ εἰμι ἄγειν ἀνθρώπους· διὰ γὰρ τὸ ἐμπνεῖν τι ἡμᾶς τοὺς καλοὺς τοῖς ἐρωτικοῖς ἐλευθεριωτέρους μὲν αὐτοὺς ποιοῦμεν . . . φιλοπονωτέρους δὲ καὶ φιλοκαλωτέρους . . . καὶ μὴν αἰδημονεσιτέρους*. Tum Phaedrus 178 E 179 A eum exercitum invictum fore censet qui sit ex amatoribus amatisque, quorum utrique pudore impediuntur, ne timidos se praebeant. *εἰ οὖν μηχανή τις γένοιτο, ὥστε πόλιν γενέσθαι ἢ στρατιόπεδον ἐρασιῶν τε καὶ παιδικῶν, οὐκ ἔστιν ὅπως ἂν ἄμεινον οἰκίσειαν τὴν ἐαντῶν ἀπεχόμενοι πάντων τῶν αἰσχυρῶν καὶ φιλοτιμούμενοι πρὸς ἀλλήλους, καὶ μαχόμενοι γ' ἂν μετ' ἀλλήλων οἱ τοιοῦτοι νικῶν ἂν ὀλίγοι ὄντες . . . πάντας ἀνθρώπους· ἐρῶν γὰρ ἀνὴρ ὑπὸ παιδικῶν ὀφθῆναι ἢ λιπῶν τάξιν ἢ ὅπλα ἀποβαλὼν ἥτιον ἂν δὴ πονεῖν δέξαιτο ἢ ὑπὸ πάντων τῶν ἄλλων καὶ πρὸ τοῦτον τεθνάναι ἂν πολλάκις ἔλοιτο*. Quod respiciens Critobulus IV. 16 *μαίρονται δὲ καὶ οἱ*

μη τοὺς καλοὺς στρατηγούς αἰρούμενοι. De eadem re dicit Socrates VIII. 32 καίτοι Πανσανίας γε ὁ Ἀγάθωνος τοῦ ποιητοῦ ἑρασιῆς ἀπολογούμενος ὑπὲρ τῶν ἀκρασίᾳ συγκυλινδουμένων εἴρηκεν ὥς καὶ στράτευμα ἀλκιμώτατον ἂν γένοιτο ἐκ παιδικῶν τε καὶ ἑρασιῶν. Quibus de verbis vehementissime certatur inter philologos. Xenophon enim ea tribuit Pausaniae, quamquam Plato Phaedrum ita dicentem facit. Athenaeus iam difficultatem in iis verbis inesse cognovit (V. 216) simulque refutavit quod nonnulli putabant, Pausaniam librum scripsisse quo tale aliquid protulisset. Cornarius autem dixit Xenophontem, quod Pausaniam auctorem illius dicti nominaverit, vituperationem quandam tegi voluisse. Boeckhius et Hugius negant Xenophontem hunc locum in suum Convivium transtulisse neque fieri potuisse censent, ut Phaedri nomen mutaretur. Censent Pausaniam voluptatem corporis eius, qui pueros amet, laudasse et hanc rem Socratem in memoriam revocasse. Hermannus eum imprudenter in errorem delapsum esse putat. Pfeleiderer in libro suo, quem supra laudavi, p. 549 ann. nihil interesse putat, utrum haec verba apud Xenophontem Pausaniae an apud Platonem Phaedro tribuantur. Hugium si sequeremur, mente excogitare non possemus Platonem, si imitatus esset Xenophontem eiusque librum ante oculos habuisset, Phaedrum, non illum de quo verbum laudatum erat, talia loquentem fecisse. Nonne causa inveniri potest, qua commotus Xenophon etiamsi Platonis verba legisset, consulto nomen mutaverit? Phaedro talia mandare eum dubitasse veri simile est; erat enim ille unus ex Socraticis atque facile quis crederet illum ex ipsius Socratis ore talia audivisse. Quod ut evitaret, Pausaniam auctorem illius dicti induxit.

Tum mirabimur quod Socratis Xenophontei doctrina simillima est Platonici Pausaniae. Uterque enim de amore divino (οὐράνιος) et vulgari (πάνδημος) disputat. Socrates VIII. 32 squ. mores Thebanorum et Eleorum Lacedaemoniorumque narrans eorum milites amore ad pugnandum incitari dicit καίτοι Πανσανίας . . . εἴρηκεν ὥς καὶ στράτευμα ἀλκιμώτατον ἂν γένοιτο ἐκ παιδικῶν τε καὶ ἑρασιῶν· τούτους γὰρ ἂν ἐξη οἶσθαι μάλιστα αἰδεῖσθαι ἀλλήλους ἀπολείπειν θανμαστὰ λέγων εἴ γε οἱ ψόγον τε ἀφροντιστεῖν καὶ ἀναισχυντεῖν πρὸς ἀλλήλους ἐθιζόμενοι οὗτοι μάλιστα αἰσχύνονται αἰσχρόν τι ποιεῖν. καὶ μαρτύρια δὲ ἐπήγετο, ὥς ταῦτα ἐγνωκότες εἶεν Θηβαῖοι καὶ Ἡλεῖοι· συγκαθεύδοντες γοῶν ἀντιοῖς ὁμῶς παρατάττεσθαι ἐξη τὰ παιδικὰ εἰς τὸν ἀγῶνα, οὐδὲν τοῦτο σημεῖον λέγων ὁμοιον. Quae eodem modo de Eleis Boeotisque Pausanias 182 B ἐν Ἡλιδι μὲν γὰρ καὶ ἐν Βοιωτοῖς καὶ οὐ μὴ σοφοὶ λέγειν ἀπλῶς νενομοθεῖται καλὸν τὸ χαρίζεσθαι ἑρασιαῖς καὶ οὐκ ἂν τις εἴποι νέος οὔτε παλαιός ὥς αἰσχρόν . . . Idem 183 A εἰ γὰρ . . . ἐθέλοι ποιεῖν οἷάπερ οἱ ἑρασταὶ πρὸς τὰ παιδικά, ἱκετείας καὶ ἀντιβολήσεις ἐν ταῖς δεήσεσιν ποιούμενοι . . . ἐμποδίζοιτο ἂν μὴ πράττειν οὕτω τὴν προᾶξιν καὶ ὑπὸ γέλων καὶ ὑπὸ ἐχθρῶν accuratius memorat, ille VIII. 23 ἀεὶ γὰρ τοι προσαιτῶν καὶ προσδεόμενος ἢ φιλήματος ἢ ἄλλον τινος ψηλαφήματος παρακολονθεῖ. Atque Pausania teste προσαιτεῖν illud Atheniensium more odiosum non erat. Sed Xenophontis Socratis tantum abest, ut Platonico assentiatur, ut ne fundamenta quidem disputationis eius agnoscat.

Pausanias amoris laudes praedicare iussus sicut Venerem ita Amorem duplicem esse ait, corporis et animi 180 D, quorum alterum laudibus tollit, alterum castigat. Socrates, ut nomen amoris ita vim quoque eandem ponit, unde singula genera pendeant, et pulchritudinem non modo non spernit, sed ipsam amoris naturam in pulchritudinis studio constituit (206 B 209 B), quod ad summae pulchritudinis imaginem expressa, caelestium formarum desiderium excitare valeat (cfr. Phaedo 249 D). Traduxit igitur philosophus amorem ab rerum hominumque, quos oculis cernimus cum caritate desiderii, ad rerum divinarum studium, quarum speciem et formam immensa pulchritudine nitentem multo ardentius etiam sui desiderium excitare

iudicavit, quam venustissimam eorum quos amemus figuram; hic amor arctissimam habet coniunctionem cum ipsa philosophia, cuius quasi est culmen; verus *ἐρωτικός* idem est perfectus consummatusque philosophus. Xenophon autem omnes ridet qui *καλῶν καὶ αἰσθητῶν* nomine inducti externam speciem internae virtutis quasi effigiem referre arbitrentur. (Oec. VI. 16, Mem. IV. 1. 2; II. 6. 28; in Cyropaediae cap. V. 1. 9—13 de pulchritudinis in amore vi ita explicat, ut eam aperte ad impotentiam sui animique imbecillitatem referat.)

Quamvis Pausanias vere Socraticam speciem prae se ferat, tantum abest, ut cum Xenophonte masculorum amorem intra amicitiae fines contineat corporumque consuetudinem ad mulieres reiciat, ut dum omnem consuetudinem corporum forma conciliatam turpem indicat, non modo Venerem muliebrem excludat, sed ipsum illum ingeniorum amorem nonnisi spurcitiae praetexat, honestissimique studii professionem in masculae libidinis lenocinium convertat. Plato igitur Pausaniae oratione id ostendere voluisse videtur, ut recte Hermannus dicit, eos qui philosophiae ignari communem sensum sequerentur, ne in summa quidem honestate ab errore tutos esse contraque Socratem exemplar verae continentiae proposuit. Xenophon autem, quo magis fundamenta illius disputationis probavit, eo aegrius ferebat eam ad talem finem deflexam esse. Quare ira acerbatur Socratem Pausaniae nomen *τοῦ ἀπολογουμένου ὑπὲρ τῶν ἀκράτεια συγκυλινδουμένων* tribuentem facit. Cum igitur hunc morum pravitatis suasorem castigare et vituperare vellet, etiam dictum de amantium exercitu a Platone Phaedro datum in illum convertere maluit.

In Phaedri oratione, ut ad alium locum transeamus, Plato exemplo Achillis et Alcestae usus de *ὑπεραποθνήσκειν τῶν ἐρώτων* verba facit, cum Critobulus eandem rem paucis commemoret IV. 16 *μετὰ Κλεινίου διὰ πρὸς Ιόλην*. Quo in loco Hugium aliosque si sequeremur, Platonem pluribus verbis ea, quae Xenophon paucis significasset, dixisse, illumque quae in Xenophontis libro invenisset, ita adhibuisse censeremus, ut ex illis tamquam fundamentis suas sententias extrueret atque amplificaret. Alia eius modi afferam. Alcibiades (215) Socratem cum iis Silenorum statu, quibus sculptores receptaculis artificiorum utuntur, similitudinem quandam habere contendit. Quas non nisi externam deformitatis speciem praebere, apertas autem omnium oculos delectare. Apud Xenophontem IV. 9 Critobulus Socratem cum Silenis comparans externam eius deformitatem describit. Etiam Alcibiades sibi esse cum illo consuetudinem quandam dicit atque eam ut amore sui incensus videatur, re vera non sit, cum a *σωφροσύνη* regatur; qua in re 218 A his verbis utitur *ἐγὼ δὲ οὐδὲν δεδηγμένος τὴν καρδίαν*; ea fere sunt verba Socratis de Critobulo eiusque pulchritudine IV. 28 *ἐγὼ ὥσπερ ὑπὸ θηρίου τινὸς δεδηγμένος* . . .; ut rem parvulam afferam, Alcibiades 212 E, 213 E coronis ornat Socratem etiamque hic apud Xenophontem, postquam cum Critobulo in certamen de pulchritudine venit, poscit *τῷ νικῆσαντι μὴ ταινίας, ἀλλὰ φιλήματα ἀναθήματα γενέσθαι*. Ceterum simile certamen apud Platonem init cum Socrate (175 D. E) Agatho, qui eodem studio quo Critobulus incensus optat, ut pulchritudinis causa ab omnibus laudetur (212 E; 223 A).

Optimum vero et clarissimum exemplum, ex quo intellegitur quomodo Platonis opere usus sit Xenophon, satis nobis ex Socratis oratione apparet, in qua collata atque in unum conferta videmus quae apud Platonem diversis locis a Phaedro, Eryximacho, Pausania, Agathone, Socrate ipso dicta sunt. Erote enim initio *δαίμονα μέγαν* nominat (VIII. 1) et hanc notionem sumpsit ex verbis Socratis Platonici (201 E—204); 201 E *ἕως εἴη ὁ Ἔρως μέγας θεός* . . . 202 D *δαίμων μέγας* 204 B *ἣ μὲν οὐδὲν φύσις τοῦ δαίμονος* . . . *αὐτῆς*; atque medium locum Eros inter deos hominesque obtinet, id quod est sensus fabulae, qua narratur eum natum esse

ex Poro et Penia (203 B). Deinde cum Xenophon Erotem τῷ χρόνῳ ἰσῆλικά τοῖς ἀειγενέσι θεοῖς appellat, reminiscitur Platonis 178 B, ubi Phaedrus de origine mundi locutus Amorem πρεσβύτατον τῶν θεῶν esse dicit. Itaque quae cognomina Erotis apud Platonem invenit, ea conguessit nullaue ratione habita adhibuit. Praeterea a Socrate Xenophonteus deus ille nominatur VIII. 1 νεώτατος τῇ μορφῇ, ab Agathone apud Platonem 195 A νεώτατος θεῶν, deinde, quod apud Xenophontem legimus μέγθει μὲν πάντα ἐπέχοντος ψυχῇ δὲ ἀνθρώπων ἰδρυμένον (VIII. 1) haustum est ex Eryximachi verbis 186 A. Denique Socrates Pausaniam secutus Venerem caelestem et vulgivagam distinguit. Pausanias exponit, duas illas deas esse, alteram atque hanc maiorem natu filiam esse matre carentem, alteram minorem Jovis et Dionis. Sine dubio Xenophonti non clarum erat quid de ea distinctione indicandum esset, id quod verba ipsius declarant VIII. 9 εἰ μὲν οὖν μὴ ἐστὶν Ἀφροδίτη ἢ διπλὰ Ὀυρανία τε καὶ Πάνδημος, οὐκ οἶδα. Verba illa nescio cur scripta sint a Xenophonte, nisi Platonis de ea re sententiae reminisceretur; de Erote ante tamquam uno verba facit, nunc subito in dubitationem vocat, utrum duo sint necne. In eadem Socratis oratione VIII. 31 Achilles et Patrocli eiusque amicitiae mentio fit quam Plato Phaedri ore 180 A profert, sed ita, ut diversa doceat. Ipsa igitur verba laudabo, quibus uterque utitur:

Xenoph. VIII. 31

Ἀχιλλεύς Ὀμήρῳ πεποιήται ὁχ ὡς παιδικαῖς Πατρόκλῳ, ἀλλ' ὡς ἑταίρῳ ἀποθανόντι ἐκπρεπέστατα τιμωρήσας.

Plato 180 A

Αἰσχολὸς δὲ φησιν εἰς τὸν Ἀχιλλεῖα Πατρόκλου ἐρᾶν ὃς ἦν καλλίων οὐ μόνον Πατρόκλου, ἀλλὰ καὶ τῶν ἡρώων ἀπάντων καὶ ἔτι ἀγένειος ἔπειτα νεώτερος πολὺ, ὡς εἴησιν Ὀμηροῦ.

Plato ergo docet narrationem de Achille Patrocli amatore impudenter a tragicis fictam esse, qui ne res ab Homero quidem traditas corrumpere et in suum usum convertere dubitent; ipsam rerum naturam obstare, quominus credamus Patroclum amasium Achillis fuisse. Xenophon autem etiam Homericis verbis allatis comprobare studet, Achillem non amatoris sed amici mortem ulcisci voluisse, id quod cum eius sententia de virorum amore quem tulit, melius congruit.

Nititur interdum Socrates verbis Platonici Socratis. 207 squ. Plato exponit amoris vim contineri studio pariendi et generandi pulchrum ex pulchro, tam quod ad animum, quam quod ad corpus pertineat; nam eam esse hominis naturam, ut cum ad iustam aetatem pervenerit, parere gestiat. Quod cum Xenophonti abstruse dictum videretur, sententiam illam attenuatam et minutam ad Calliae et Autolyi amorem refert. Vulgarem illum cum adolescentulis familiaritatem ita demum probat, si ad virtutem sapientiamque augendam ducit. Itaque Socrates VIII. 27 squ. a Callia petit, ut una cum adolescente maiora appetente ipse ad eadem tendat; imprimis eum hortatur ut patriae amorem colat et Themistoclis Periclis Solonis Lycurgi nomina ei in mentionem vocat (VIII. 39). Apud Platonem pro Themistocle et Pericle Homerus et Hesiodus poëtae commemorantur 209 D. In universum autem Xenophon, quae sit propria vis Erotis apud Platonem non recte intellexisse videtur. Qui Erotem studium animi magis quam corporis significat, quo scientiae et philosophiae venustatem percipimus et a pulchritudine singularium ad universalium rerum pulchritudinem convertimur. Xenophon autem, quid in tali hominum usu periculi sit videt, summoque studio a voluptatibus corporis convivas depellere studet — quodammodo eius praecepta cum iis congruunt, quae Eryximachus medicus in Platonis Convivio dat, velut 176 B, C et II, 24—26. Uterque est in vino continens; etiam cum paene omnes pridie vino obruti paulum langueant (223 C), moderationem in bibendo adhiberi vult.

Itaque cum postea Alcibiades eum hortatur, ut maiore poculo utatur, e convivio cum aliis quibusdam abscedit. Et Eryximachus et Socrates 176 E et III. 2 *διὰ λόγων ἀλλήλοις συνεῖναι* cupidi id suadent, ut de amore sermo fiat.

De Philippo scurra, quem iam antea paucis commemoravi, nunc paulo latius dicam. Miramur enim cur eum in convivium Xenophon induxerit, cum nihil agat et dicat memorando dignum. Sed duabus de causis hoc fecisse videtur. Plato enim Aristodemum non vocatum ad convivium venientem facit, id quod indecorum putabatur (cf. Archil. Frgm. 75 Hill.). Philippi igitur personam finxit, ut Aristodemo opponeret, qui nihil ad hilaritatem augendam confert. Praeterea autem veri simile est eum Aristophanis imaginem a Platone praeclarissime adumbratam in pravum detorquere voluisse. Hic festivis facetisque argutiis summaque elegantia tamquam comicas partes agit, ille iocis rudibus et ineptis per totum convivium convivalibus oneri est I. 13. 15, II. 14. 20, IV. 55, VI. 9. 10. Ut autem Aristophanes 176 C *δυνατώτατος πίνειν* est, ita etiam Philippus vinum amat sibi magnum poculum dari vult; ille ciborum capacissimus est, hic graviter fert se domi habiturum non esse, quo vivere possit nisi suis iocis homines delectentur. Aristophanes etsi ab Alcibiade 213 C *γελοῖος* dicitur atque se ipse *γελοιοποιόν* appellat (189 A B), tamen facultatem comicam a Musis sibi datam esse arbitratur, qua non solum ea parentur, quae ad victum suppedient.

Alcibiadem vero, qui amicitiam intimam sibi esse cum Socrate 217 B dicit, vituperare Xenophon videtur Critobuli verbis IV. 18, ubi dicit Socratem neque virorum neque mulierum amorem assequi potuisse *εἰ δὲ ἤδυν τὸ παρ' ἐκόντων διαπράττεσθαι ὧν τις δέοιτο εὐ οἶδ', ὅτι καὶ νυνὶ θᾶττον ἂν ἐγὼ καὶ σιωπῶν πείσαιμι τὸν παῖδα τόνδε καὶ τὴν παῖδα φιλήσαι με ἢ σὺ, ὃ Σόκράτης, εἰ καὶ πᾶν πολλὰ καὶ σοφὰ λέγοις*. Fortasse etiam his in rebus Platonis auctoritate rectus est. Primum IV. 47 vaticinandi artem laudibus effert καὶ Ἕλληνες καὶ βάρβαροι τοὺς θεοὺς ἡγοῦνται πάντα εἰδέναι τὰ τε ὄντα καὶ τὰ μέλλοντα εὐδελον· πᾶσαι γοῦν αἱ πόλεις καὶ πάντα τὰ ἔθνη διὰ μαντικῆς ἐπερωτῶσι τοὺς θεοὺς τί τε χρὴ καὶ τί οὐ χρὴ ποιεῖν. Contra ea apud Platonem Socrates vaticinationem non prope abesse ab arte magica (*γοητεία*) dicit et sacerdotes *ἄνδρας δαιμονίους* nominat, quibus contrarii sint *ἄνθρωποι βάνανσοι*. 202 E 203 A *διὰ τούτου καὶ ἡ μαντικὴ πᾶσα χωρεῖ καὶ ἡ τῶν ἱερῶν τέχνη τῶν τε περὶ τὰς θυσίας καὶ τὰς τελευτὰς καὶ τὰς ἐπιδὰς καὶ τὴν μαγγάνειαν πᾶσαν καὶ γοητεῖαν . . . καὶ ὁ μὲν περὶ τὰ τοιαῦτα σοφὸς δαιμόνιος ἀνὴρ, ὁ δὲ βάνανσος*. Tum VIII. 23 scripta invenimus *ὀρεγόμενος εἰκότως ὥσπερ πτωχὸς περιέποιτο*. Neque vero multo aliter apud Platonem se gerit Eros Peniae filius mendicans. Denique utriusque Convivii conclusio quamquam primo aspectu dissimilis esse videtur, tamen imitationis suspicionem movet. Etenim ut apud Platonem, ita apud Xenophontem, ut ita dicamus, Eros deus a Libero loco illo principe, quem ante apud convivas habuit, depellitur. Nam pantomimo Xenophon homines docere vult, quatenus voluptates venereae progredi debeant, quoniam amor sexus muliebris natura insitus ingeneratusque videatur. Sed etiam seriis disputationibus de Erote ridiculam rem continuari uterque scriptor vult similiter ac tragoediam veterum fabula satyrica sequi solebat. Ille autem pantomimus a mimo quodam Syracusano IX. 2 convivis offertur. Quodsi deliberabimus, qua de causa Syracusanus homo sit gregis artificum princeps, cognoscemus consulto Xenophontem id fecisse. Nam Plato artem mimicam cum mimis Sophronis Syracusani itineribus suis in Siciliam factis didicerat. Ergo quod Syracusanus quidam homo convivas spectaculis delectare studet, eo referri potest, quod Xenophon, cum in Platonis Convivio ars scaenica praevaleat, eum obiter perstringere cupivit.

In fine disputationis nostrae miramur, quod in Xenophontis opere magna pars Antistheni tribuitur, cuius oratio post Socratis orationem longissima est. Atque is quidem plurimis ex convivis quaerit, de qua re potissimum disputaturi sint. Idem et cum Callia qui homines pecunia data beatiore reddere vult IV. 1 pugnat verbis et in Niceratum IV. 6 invehitur. Quin ipsum Socratem lacessit, cum disciplinam domesticam a Xanthippe severe regi cavillettur. Summa paupertate eum fuisse legimus III. 8 quo loco ipse se tam parvum agellum habere commemorat, ut in eo Autolycus in sole iacens se volvere nequeat. Qui Socratem asperitate et „ironia“ superare conatus, cum Syracusanum VI. 8 aggrediatur, *εἰκόνα* affert. Qua in re Platonem imitatus est, qui Alcibiadem Socratem cum Marsya et Silenorum artificii, qui plus in secessu habeant, quam fronte promittant, comparantem facit. Aristoteles quidem in libro de arte rhetorica III. 7 scripto *εἰκόνα* Antisthenis ad hominem quendam libidinosum pertinentem affert. Itaque non solum ex Platone, sed etiam ex aliis Xenophon in suum Convivium transluisse videtur. Exempli causa IV. 26 Socrates servo ut vinum infundat in parvos cyathos imperat, ne ebrietas oriatur. Similia in Protrepticis Antisthenis invenimus, ubi ei qui ex magnis scyphis bibere volunt prohibentur ne id faciant; eos autem qui parce bibant, diu in commisationibus permanere posse. Forsitan ei illud quoque opusculum quod dicitur *περὶ οἴνου χορήσεως* notum fuit. Tum IV. 34 fatetur beate vivere sibi una esse positum in egestate atque IV. 38 in rebus ad corporis voluptates pertinentibus tam modeste se gerere ut tales feminas amaret quae sibi gratias haberent (cf. Diog. Laërt. VI. 58) Fortasse his in rebus Platonem sub specie alius Socratis discipuli, qui Socratis vitae rationem et usum accuratissime cognoverat, aggredi voluit, quo maior fides suis sententiis haberetur.

Sed haec hactenus.

Si licet breviter comprehendere quae disputatione nostra protulimus, haec fere summa exstitit, persuasum nobis esse Xenophontem Platonis Convivio stimulatum atque incitatum esse ut in eodem genere vires suas experiretur, atque ita factum esse ut duo illi libri praeter titulum tam multa habeant communia. Platonem suum Convivium prius scripsisse ex temporum ratione demonstrare conati sumus. Tum in universum de Platone et Xenophonte scriptoribus indicantes quaesivimus, utri plus ingenii tribueremus, ut formam ad id tempus inauditam inveniret et utrum veri similis esset habere causam ut suam ipsius sententiam ab utro abhorrentem aperiret. Utrumque melius cum Xenophonte congruere invenimus.

Tum ad singulas res procedentes Conviviaque inter se comparantes vidimus tali comparatione probari quae antea posuimus, Platonis opus esse artificium ex philosophi summi capite ortum, quod omnibus ex partibus intellegi possit, Xenophontis autem in rebus maioribus et minoribus pendere ex exemplo quod ille imitandum sibi proposuerat.

In fine disputationi
stheni tribuitur, cuius orati
ex convivis quaerit, de qua
pecunia data beatiore red
Quin ipsum Socratem laces
Summa paupertate eum fui
commemorat, ut in eo Auto
et „ironia“ superare conatu
Platonem imitatus est, qui
in secessu habeant, quam fr
arte rhetorica III. 7 script
affert. Itaque non solum
tulisse videtur. Exempli c
imperat, ne ebrietas oriatu
scyphis bibere volunt pro
sationibus permanere posse
χρησεως notum fuit. Tum
IV. 38 in rebus ad corpori
amaret quae sibi gratias h
sub specie alius Socratis d
verat, aggredi voluit, quo

Sed

Si licet breviter co
exstitit, persuasum nobis es
ut in eodem genere vires
titulum tam multa habeant
ratione demonstrare conati
indicantes quaesivimus, utri
et utrum veri similis ess
aperiret. Utrumque melius

Tum ad singulas r
paratione probari quae an
capite ortum, quod omnibu
et minoribus pendere ex e

B.I.G.

M

Y

C

Grauskala #13

A 1 2 3 4 5 6 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

antis opere magna pars Anti
est. Atque is quidem plurimis
em et cum Callia qui homines
in Niceratum IV. 6 invehitur.
anthippe severe regi cavillettur.
tam parvum agellum habere
eat. Qui Socratem asperitate
ur, *ελόνα* affert. Qua in re
Silenorum artificii, qui plus
Aristoteles quidem in libro de
ndam libidinosum pertinentem
hon in suum Convivium trans
n infundat in parvos cyathos
nvenimus, ubi ei qui ex magnis
parce bibant, diu in commis
ulum quod dicitur *περι οἴνου*
esse positum in egestate atque
te se gerere ut tales feminas
rtasse his in rebus Platonem
et usum accuratissime cogno
protulimus, haec fere summa
imulatum atque incitatum esse
esse ut duo illi libri praeter
prius scripsisse ex temporum
ne et Xenophonte scriptoribus
id id tempus inauditam inveniret
ententiam ab utro abhorrentem
us.
comparantes vidimus tali com
artificium ex philosophi summi
ontis autem in rebus maioribus
osuerat.